

MISCELLANEA HORATIANA

Omnes viri docti, tam antiquorum temporum quam nostrae aetatis, qui saturarum Horati Flacci libros commentariis instruxerunt, versus 103—104 tertiae primi libri saturae (Hor. Sat. I 3, 103—104)

donec verba, quibus voces sensusque notarent,
nominaque invenere;

diversis rationibus interpretari copati sunt.

Nemo tamen omnium, ut opinor, recte de huius loci sensu iudicavit. Et est re vera satis obscurus et difficilis explicatu hic locus, si exemplar, quod poeta noster sibi imitandum proposuerit, cum hanc saturam scriberet, non invenimus.

Jam primus, quod sciam, praestantissimus Horati interpres D. Lambinus (v. ed. 1605 sat. lib. I. p. 30) sagaciter perspexit latinum poetam Platone auctore exposuisse omnia, quae his versibus continentur; non tamen, ut ille opinatur, Platonico Cratylo, sed, ut ego sine dubio credo et in sequentibus demonstrabo, Platonico Protagora duce.

In Cratylo enim non quaeritur, utrum verba facta sint necne, quod si esset, conferendus esset hic dialogus cum satura Horatiana, sed utrum recte facta sint necne, a quo tractatio Horatiana prorsus aliena est¹. In Cratylo ergo fundamentum totius disputationis Platonicae est τὰ ὀνόματα εἶναι ἀρχῆς θεσει γενέσθαι i. e. nomina rebus consilio imposita esse. Contra apud Platonem in Protagora (322a) cultus humani origo et progressus exponitur, de quibus etiam in satura Horatiana agitur.

Ex his igitur colligi potest Horatium in hac satura conscribenda fabulam Protagorae (322a) magis quam Cratylum ante oculos habuisse.

Praeter hanc tamen argumenti similitudinem etiam hoc, ut mihi videtur, maximi momenti est.

Apud Horatium habemus versus eodem atque apud Protagoram Platonicum modo expressos, ut concludere possimus Ho-

¹ v. Joh. Hellfried Dahlmann: De philosophorum Graecorum sententiis ad loquellae originem pertinentibus capita duo p. 43 dissert. Lipsiensis MCM XXVIII.

ratium has verborum coniunctiones et colorem narrationis ex scriptis Platonis excerpisse: Nam Graeco et more et sermone dicta sunt.

Sic Platonium illud (Prot. 322a) Ἐπειτα φωνὴν καὶ ὁ νόματα ταχὺ διηρθρώσατο τῇ τέχνῃ vertit Horatius in vers. sat. I, 3, 103 «Donec verba, quibus voces sensusque notarent, nominaque invenero.

Praeterea confer etiam Platonium (Prot. 322 d.) καὶ νόμον γε θὲς παρ' ἑμοῦ, τὸν μὴ δυνάμενον αἰδοῦς καὶ δίκης μετέχειν κτείνειν ὡς νόσον πόλεως cum Horatiano v. 105 «et ponere leges ne quis fur esset neu latro neu quis adulter».

Postquam haec praemisi, quae, ut opinor, generatim demonstrare possunt, quantum Horatius a Platone pendeat, ad ipsum cardinem totius dissertatiunculae nostrae progrediendum est. i. e. ad Horati versuum interpretationem (sat. I, 3, 103—104).

Scholia Horatiana vetera, quae aliquid de huius loci sensu habere debebant, prorsus, ut fieri solet, tacent. Solum in scholiis ad Horatium λ, φ, ψ nuper a H. J. Botschuyver editis (Amstelodami 1935 p. 277 v 99) legitur hoc: «dicit poetica licentia humanum genus primum mutum fuisse ac per hoc comparat illud pecori et dicit quia propter glandem qua vescebantur et propter cubilia silvestria et cava terrarum ubi ante habitabant primo unguibus et pugnīs, pugnabant, deinde fustibus, postea vero armis quae ipsi fabricaverant, donec et voces et sensus dati sunt;» quod, quantum intellego, non solum nihil ad hunc locum interpretandum affert, sed etiam rem male turbat.

Neque autem Richardus Heinzius, ut ceteros recentiorum Horati commentatorum omittam, optimus et utriusque linguae peritissimus philologus, facilem ac felicem huius obscuri loci explicationem dare potuit (v. Richard Heinze: Q. Horatius Flaccus Satiren 1921 p. 62). Nam non accurate, ut mihi videtur, inspexit, quo ex fonte Horatius hauserit in hac satura componenda, quoque modo ea, quae apud auctores, quorum vestigia sequebatur, invenerat, non modo mutaverit, sed etiam diligentius explicaverit.

Jam his expositis ad ipsam versuum interpretationem redeamus.

Ac primum locum Horatianum sat. I, 3, 103—104, ut su-

pra dixi, e narratione Protagorae apud Platonem (322a) profluxisse mihi persuasissimum est. Hoc optime affirmari potest ex verbis, quibus uterque auctor eisdem utitur. Ut enim Plato «φωνὴν καὶ ὀνόματα» dicit, sic etiam Horatius noster «v o c e s et n o m i n a» ad verbum vertens scribit. Talis ad verbum pae-ne facta ex fabula Platonica conversio aliis quoque in diversis huius Horatianae saturae versibus, ubi de eadem quaestione agitur, invenitur. Ita e. gr. quomodo Plato καὶ νόμον γε θὲς παρ' ἐμοῦ τὸν μὴ κλπ.» scribit, sic eisdem quidem verbis idem expressum et apud Horatium legimus «et ponere leges ne quis etc...».

Sed etiam in eis versibus in quibus Horatius sine dubio Lucretium imitatus est, ut iam egregie ante nos complures Horati interpretes ostenderunt, praeclara sunt vestigia quaedam Platonicae imitationis (vide commentarios locupletissimos R. Heinzii in Horati saturas).

Caveamus tamen ne imprudenter de hac imitatione Platonis apud Horatium iudicare videamur, quoniam Hellfried Dahlmanno iudice, qui optime in inaugurali dissertatione, quae est de philosophorum Graecorum sententiis ad loquellae originem pertinentibus (dissert. Lipsiensis MCMXXVIII) de quaestione originis loquellae apud veteres tractavit, etiam alii scriptores praeter Platonem de origine orationis humanae egerunt. (Xenophon Mem. I 412 et IV, 3, 13—Isocrates, III, 6).

Sed ex his omnibus apud unum Diogenem Oenoandensem, qui disputationem de cultu humano progrediente instituit (Fr. X et XI ed. William Lips. 1907) coniunctionem vocabulorum ὀνομάτων καὶ ῥημάτων invenimus, quae apud Horatium quoque in satura legitur. Hac in re autem primum monendum est illum (i. e. Diogenem Oen.) epitomen doctrinae Epicureae composuisse ex qua potissimum hanc vocabulorum coniunctionem mutuatum esse arbitramur.

Ceterum, poeta latinus hac verborum coniunctione nihil aliud, mea sententia, nisi modo anachronistico orationem secundum leges artis grammaticae dispositam omnino notare voluit (v. Hor. Art. poet. v. 234—235).

Quae cum ita sint, vix crediderim Horatium ab alio fonte

atque a Platonis Protagora hausisse cum de loquellae hominum origine tractaret.

Ita, quod apud Platonem scriptum invenitur «ἔπειτα διηρθρώσατο (ὁ ἄνθρωπος) τῇ τέχνῃ» vertit ille in haec: «donec homines verba nominaque invenere, quibus...» quibus τὴν τέχνην Platonis significat, ut supra memoravimus: et in versu Horatiano 104 «voces sensusque notarent quibus» eandem atque apud Platonem coniunctionem verborum habemus φωνὴν καὶ ὀνόματα, quam tamen Horatius secundum Lucreti versum (de r. n. V. 1058) «pro vario sensu varia res voce notavit» elaboravit, quod, ni fallor, nemo adhuc animadvertit.

Et nunc facile fieri potest, ut communem ante oculos nostros fontem Lucreti (de r. n. V, 1056—1058 ed A. Brieger) et Horati (sat. I, 3, 103—104 ed. R. Heinze) habeamus.

Perperam igitur R. Heinzius interpretatus est vocabulum *sensus*, πάθη alio Lucreti loco nisus. Nam hic *sensus* significat διάνοιαν, ut apud Platonem vocabulum ὀνόματα quo Plato nominibus accommodatas sententias sentit.

Quae cum ita sint, recte in Forcellini lexico sub vocabulo «*sensus*» hoc legitur: «*sensus* est verborum sententia seu id quod verbis significatur Hor. sat. I. 3, 103», etc.

Coniunctio igitur verborum (i. e. διὰρθρώσις) φωνῆς καὶ ὀνομάτων, quae Platone iudice arte hominum facta est, redditur apud Horatium verbis «quibus notarent voces sensusque», i. e. «sententias vocum» secundum Platonem τῶν ὀνομάτων τῆς φωνῆς i. e. τῶν λέξεων.

Sic fieri potest, ut «nomina» «voces» que pro synonymis verbis habeantur, ut iam optime saturarum Horati interpres Lejay animadvertit. (v. ed. Lejay 1911 in l. c. «Nomina et voces seraient alors à peu près synonymes. Mais il est douteux qu'Horace ait eu la pensée de cette distinction»).

Quae cum ita sint, conversio huius loci Horatiani neograeca est haec: «Μέχρις οὗ, οἱ ἄνθρωποι ἐπενόησαν τὰ ῥήματα καὶ τὰ ὀνόματα (δηλαδή τὰ μέρη τοῦ λόγου διὰ τῆς γραμματικῆς τέχνης) πρὸς δῆλωσιν τῶν διανοιῶν (σημασιῶν) τῶν λέξεων.

Latine quoque «Donec homines verba nominaque invenere (i. e. partes orationis arte grammatica) ad notandas sententias vocibus accommodatas».

Hor, Carm. III, 14, 25

lenit albescens animos capillus

Huic Horati Flacci versui simillimum mihi videtur a Philodemo A.P.V. 112 dictum.

πολιὴ γὰρ ἐπείγεται ἀντὶ μελαίνης

θριξ ἥδη συνετῆς ἄγγελος ἡλικίης.

quod, ni fallor, nemo adhuc animadvertit. Nam desideratur tam in apparatu locorum similium editionis Hor. O. Kelleri et A. Holderi quam in commentariis ad Horati carmina compositis¹.

*
* *

Item Hor. Carm. I, 1 versus 21—22

nunc viridi membra sub arbuto

stratus, nunc ad aquae lene caput sacrae

cum Ἀνύτης epigrammate, quod in libro IX, (313) A.P. continetur.

Ἴξεν ἅπας ἐπὶ καλὰ δάφνας εὐθαλέα φύλλα

ὦραίου τ' ἄρυσαι νάματος ἀδὺ πόμα

ὄφρα τοι ἀσθμαίνοντα πόνοις θέρεος φίλα γυῖα

ἄμπαύσης πνοιῇ τυπτομένα Ζεφύρου.

conferendos puto².

CHRISTUS C. KAPNUCAIAS

¹ Cf. A. Körte Rh. Mus. 45 (1890), 177 «Augusteer bei Philodem» p. 172—177.

² Cf. etiam R. Heinze: edit. Q. Horati 1930 p. 7.